



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. LXV. Humatio D. Augustini: testamentum eius copiossimi libri: & varij
cœtus Clericorum, Monachorum ac sanctarum Virginum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

tix substitit, quod per omnes campos Ecclesix ferebatur: ita dulcedo in amaritudinem est conuersa: ita recessit Sacerdotum gloria, Doctorum magister, pauperum refugium, viduarum aduocatus, orphanorum tutor, lux mundi: ita conticuit magnus ille verbi diuini præco: sic occubuit strenuus propugnator, qui gladio doctrinæ atque prædicationis, centicipitem hereseon bestiam trucidauit: ita mortuus est insignis ille architectus, qui Dei domum suffulsi, bonorum operum exemplis instruxit, & intus suæ eruditionis artificio elaborauit: ita magnus ille doctrinæ Sol occidit, ille fluuius pietatis exaruit, vnicus sapientiæ phœnix, amoris igne sacro exustus: ita gemma Doctorum in cælum est translata.

CAPVT LXV.

Humatio D. Augustini: testamentum eius: copiosissimi libri: & varij cætus Clericorum, Monachorum, ac sanctarum Virginum.

Possid.
cap. vlt.

POST hæc vberimis suorū lacrymis, ingenti totius vr̄bis & orbis luctu, tum præsertim oblatione incruentæ Hostiæ de more pro eodem factâ, terræ redditus est, in templo sancti Stephani, quod ipse recepitis

ceptis ex Ierosolymâ eiusdem Martyris reliquiis honorificentissimè exornarat. Testamento verò nihil auri, argente, vel alterius rei caducæ reliquit, quia, ut bene Possidius, *unde faceret pauper Christi non habuit*; omnia namque iam pridem dum valeret, in pios vsus expenderat. Eiusce tamen loco suis legavit à se conditorum librorum thesaurum incomparabilem, animarum salutis perutilem, ac Ecclesiæ Dei prorsus necessarium. Hinc Ferdinandus ab Hispaniâ, *Diuus*, inquit, *Augustinus velut alter Noë, non quidem arcam, sed libros componendo, mundum uniuersum periclitantem ab hæreticis liberavit.* Eorumdem lectione librorum D. Fulgentius asserit sese de mundi periculosis fluctibus in religiosæ quietis portum fuisse pertractum: quem complures hominum faniores & ipsi imitantes, monasteria repleuere, spreto sæculo, in omni genere pietatis ibidem Deo famulantes. Nullum igitur, ut modò dictum est, fallacium diuitiarum thesaurum posteris reliquit: sed eam potius omni pretio dignam lucubrationum supellectilem Ecclesiæ legavit, quæ longè ampliùs eam locupletat, quàm quidquid rerum hic mundus obstupescit. Neque mirum id quidem videri potest; dicit enim Scriptura: *Melior*

D. Augustinus testamentum pecuniarum non cõdidit.

Ser. 150. apud B. Iordanum.

Auctor Vitæ, c. 3. & 4.

D. Fulgentius & alij plures, lectione librorum S. Augustini filii monachi.

Prouerb. 3.

Z 2

est

est sapientia cunctis opibus. & , vt hoc ad-
 dam , si quod historiis proditum est , Alex-
 ander Magnus , inter Darij spolia sibi legit
 pyxidem illam celebratissimam , poëmaticis
 Homeri conseruandis destinatam ; facile
 sane potest æstimari quantis diuitiis Eccle-
 siam Augustinus auxerit , qui tot libros , tot
 ingenij monumenta , tot omnis sapientiæ
 promptuaria Catholicis legauit. Quare sa-
 pientissimus Deus , Augustini opera , tam-
 quam vnicum bonum cuius Ecclesiæ plu-
 rimùm interesset , è medijs Barbarorum ra-
 pinis atque flammis , non citra miraculum ,
 vt multi volunt , Angelicâ custodiâ defen-
 dit , tameris Vandali hostes Ariani essent ,
 scirentq; eum cum alias hæreses , tum præ-
 fertim impietatem Arianam , vnâ cum prin-
 cipe suo Maximinô Episcopo confutasse .
 Voluit nimirum Deus , vt qui viuus omnes
 exortas hæreses refutarat , mortuus easdem
 recrudescentes , vel etiâ nouiter emergentes
 deprimeret. Adiecit Ecclesiæ præter hoc &
 aliud testamenti loco , nempe virorum ac
 mulierum continentium plena monaste-
 ria , tum etiam Clerum insigniter frequen-
 tem ac numerosum tradidit. Quæ res sanè
 nimio opere est laudabilis : nihil enim rei
 Christianæ utilius , quam pios & idoneos
 operarios in vineam Dominicam vndique
 con-

Plutar. in
 Vitâ Alex-
 andri.

D. Augu-
 stini scripta
 in medijs
 Barbarorū
 flammis
 diuinitus
 conseruata.

Ant. Possé-
 uin.

Reliquit
 D. Augu-
 stinus Ec-
 clesiæ copio-
 sum Clerū.

conquirere, & hac tam necessariâ supellectile, domum Dei abundanter instruere.

Tales ferè sunt ij qui Seminaria plantant, Bursas instruunt, & ex religioso coetu ij qui fidem Orthodoxam sedulò promouent: addo etiam qui eisdem Religiosis domos extruunt. Hi enim omnes quàm optimè de Ecclesiâ merentur, & præ reliquis mortalibus, instar huius eximij Antistitis, laudem præcipuam reportant.

*Quomodo
utiliter fa-
cultates ex-
pendantur.*

CAPVT LXVI.

Calamitosissima Hipponis post D. Augustini mortem inuasio.

FVIT vrbs Hipponensis ab Augustini morte longè miserrima facies: Vandalis namque coronâ totam cingentibus, non aliud ciues manebat, quàm extremum excidium, quod denique secutum est ingenti hominum strage, Ecclesiarum clade, & diuini Numinis contumeliâ. Hostes enim continuos in ciuitatem assultus facientes, ciuibus quamquam fortiter, frustra tamen obnitentibus, illam inuasere decimoquarto mense, quàm obsessâ fuit; iidemque non sexui, non ætati pepercerunt vlli, barbarâ immanitate quosuis trucidantes. Antistites Episcopi que Ecclesiarum quotquot

*Vandalorū
in Hipponenses fu-
ror.*

Z 3 ibi